

sensum iuxta mentem Prophetae includit: « Et tu Bethlehem Ephrata, parvula quidem es, extensione territorii, et incolarum numero; at minime parvula celebritate nominis et gloria, quia ex te exiit Messias » seu alius verbis: quamquam parvula sis, non es tamen parvi momenti, quia ex te oriatur Messias; verum hoc ipsum est quod dicitur in testimonio ut apud Matthaeum allegatur. Nec difficultatem ingerit, quod in Evangelio dicatur *Bethlehem terra Iuda*, et in textu hebreico, *Bethlehem Ephrata*; cum enim duo oppida essent in Palestina nomine Bethlehem alterum in Iudea, alterum vero in Galilaea, ad Bethlehem Salvatoris determinandam, sacerdotes addiderunt « *terra Iuda* », textus autem addit « *Ephrata* » quia Bethlehem Iuda illud etiam nomen gerebat, unde Bethlehemita in Scripturis sumitur aliquando pro Ephrataeo. Quare licet daretur vaticinium Michaeae a sacerdotibus illis accurate recitatum fuisse quemadmodum in originario textu legebatur, adhuc probata non esset substantialis illius loci corruptio in nostris editionibus; multo magis autem si admittatur, ut supra diximus, locum illum non verbo tenus sed ad sensum ibi allegatum fuisse.

ARTICULUS II.

DE CONSERVATIONE ET INTEGRITATE LIBRORUM V. T.
QUATENUS IN VERSIONIBUS CONTINENTUR.

Recolenda sunt quae in Sectione I. diximus de notione versionis, et de magno versionum numero. Sunt enim haec communia etiam libris V. T. Non tamen eadem semper sunt versiones Veteris, ac Novi Foederis, nec idem semper auctor eademque aetas. Oportet itaque seorsim agere de V. T. versionibus ut compleantur ea quae disputata sunt in praecedenti Sectione. Ut autem ordini consultamus distincti paragraphis dicemus: 1^o de versionibus Graecis, imprimis de versione των LXX omnium antiquissima et probatissima; 2^o de versionibus Orientalibus proprie dictis; 3^o de Occidentalibus versionibus praesertim Itala et Vulgata Latina; 4^o de Bibliis Polyglottis.

S. I. De versionibus Graecis V. T.
ac praesertim de versione LXX interpretum
seu Alexandrina.

Versiones Graecae V. T. quarum memoria extat septem praecipue numerantur scilicet: versio *Alexandrina*, versiones *Aquila*, *Symmachi*, et *Theodotionis*, et aliae tres anonymae quae V, VI, et VII appellantur. Versiones istae *hexaplares* vocatae sunt, quia in hexaplis Origenis locum habebant, ut postea explicabimus. Inter laudatas versiones eminet

A. Versio *Alexandrina*, seu LXX interpretum.

Dicemus breviter 1^o de eius origine et historia, 2^o de vicibus quas subiit et de praesenti eius statu, 3^o de eius valore sive intrinseco sive extrinseco. Quae omnia, claritatis gratia, proposita sequenti thesi exponemus.

THEISIS XXVII.

Versio Graeca LXX interpretum, quae Alexandrina dicitur, tertio A. C. saeculo in Aegypto confecta, etiam prout in hodiernis editionibus invenitur ab erroribus contra fidem et mores immunita est, et cum textu originario substantialiter conformis.

Inter omnes sacrae Scripturae versiones antiquissima (1) est versio Graeca quae aliquando dicitur *Alexandrina*, ratione loci in quo confecta fuit, aliquando (praesertim apud antiquos) dicta est versio LXX interpretum, vel *septuaginta viralis*, vel brevius των LXX, aut omnino Graece των δ, ratione auctorum, qui LXX posuit fuisse dicuntur cuius loco numerus rotundus LXX positus est.

(1) Nonnulli existimant ante Alexandrum Magnum iam in Aegypto Graecam aliquam versionem Pentateuchi extitisse; ducti testimonio Clementis Alexandri et Eusebii, qui rursus Aristobuli enisdam ex actate Ptolemaeorum scriptoris testimonio innituntur. Ex qua versione dicunt Platонem et Pythagoram aliquos Graecos philosophos multa hausisse. Verum alii communius id negant existimantes Aristoboli libram spuriam esse, a quo Clemens et caeteri decepti sunt; philosophos autem non ex Graeca V. T. versione, sed ex commercio cum Hebraeis quadam didicisse. Illius Huetius media via incendens putat non totam legem, sed quasdam tantum partes ante Alexandrum Graecas factas esse.

I. Igitur *origo et historia* huius versionis tradenda est. Ad originem quod attinet, duo sunt fontes ex quibus historiam versionis Alexandrinae hauserunt veteres, scilicet *libellus* cuiusdam *Aristaeae*, qui dicit se fuisse praefectum equitum Ptolemaei Philadelphi, et partem habuisse in legatione Hierosolymam missa ad Iudeos interpres impetrando. Huic libro accedit *oralis traditio*, quam sequuntur Iustinus M. Philo et Epiphanius, ex qua multae circumstantiae, praesertim prodigiosae, historiae illi adiectae sunt. Summa narrationis Aristaeae, quam sequuntur Josephus Flavius (Antiq. XII, 2), Eusebius (praep. Evang. lib. VIII. cap. 2-5), Hieronymus et alii passim ab haec revocari potest. Cum Ptolemaeus Philadelphus, rex Aegypti, celebrem bibliothecam Alexandriae collegisset, eidemque Demetrium Phaleraeum doctissimum Graecum, qui sub regno Ptolemaei Lagi illuc confugerat praefecisset, is regi persuasit ut libros Iudeorum in Graecam linguam transferri curaret, acseritis ad hoc Iudeis viris utrinque linguae Hebraicae et Graecae peritis, ita ut sex ex unaquaque tribu Israel, ad hoc opus eligerentur. Placuit regi consilium, qui honorificam legationem cum splendidis muniberibus Hierosolymam misit ad Eleazarum Summum Pontificem, ut sacros codices cum peritis interpretibus ab eo posceret. Legati humanissime ab Eleazaro excepti sunt, ac paulo post in Aegyptum remissi cum sacro Codice aureis literis descripto, et LXXII interpretibus sapientissimis, et Hebraice iuxta ac Graece doctissimis, ex singulis tribubus delectis. Cum isti Alexandriam venissent magno honore a Ptolemaeo affecti sunt, et septem diebus splendidis excepti convivis, in quibus rex singularium sapientiam exploravit, quaestionem aliquantum moralen vel politicam eis proponens solvendam, in quibus quaestionibus et responsionibus enarrandis Aristaeus multis est. Interiectis aliquot exinde diebus, viri illi opus translationis aggressuri deducti sunt a laudato Demetrio in Pharam insulam, quietis et tranquillitatis causa. Eo in loco, collatis studiis, versionem confecerunt spatio dierum LXXII. Completa versione, idem Demetrius eam coram Iudeorum multitudine perlegit, qui eius fidelitatem unanimi consensu proclamarunt, diris etiam execrationibus in illos pronunciatis qui auderent quidquam in ea mutare et depravare. Hisce peractis, rex Demetrio mandavit, ut sacri codices Hebraeorum Graeca lingua donati in bibliotheca Alexandrina religiose asservarentur,

et interpres honoribus ac muneribus comulatos in patriam remisit. Hanc historiam ex Aristaeae libro refert Iosephus Flavius loc. cit. in compendium tamen redactam, quemadmodum etiam Eusebius in citato libro VIII praep. Evang. et post illos plerique veterum Doctorum. Alii vero historiam paulo diversam narrant ininxii praesertim in orali Iudeorum Hellenistarum traditione. Ita Philo in lib. 2. De Vita Moysi, ubi, nulla facta mentione sive Aristaeae sive Demetrii versionem τον LXX ex divina inspiratione factam dicit, ita ut singuli interpres seorsim scribentes in iisdem prorsus verbis convenierint; addit praeterea, apud Iudeos Aegyptios in memoriam factae versionis annam solemnitatem institutam fuisse. Iustinus M. item ex traditione refert (Exhort. ad Graecos n. 13) quemadmodum laudati interpres in totidem distinctis cellis inclusi fuerunt, ita ut inter se communicare non possent, cum autem singulae versiones collatae fuissent, apparuit omnes unam eamdem veritatem translationem confecisse: « Non solum, inquit, eadem sententia, sed iisdem etiam verbis usi sunt, ac ne una quidem in vocula a mutuo consensu aberrarunt » unde concludit versionem illam Deo inspirante confectam esse; addit autem, sua aetate cellularum illarum vestigia adhuc extitisse: « Haec vobis, o Graeci, fabula esse non debent, nec fictas vobis historias narramus. Sed qui Alexandriæ versati sumus, et vestigia cellularum vidimus in Pharo adhuc extantia, ac rem ex incolis, qui eam a maioribus ut patriæ sue propriam acceperant, audiimus haec vobis annuntiamus, quea etiam ex aliis discere potestis, praesertim ex iis qui hac de re historias scriperunt, sapientibus et speciatibus viris Philone, Iosepho ac aliis pluribus. » Eamdem circumstantiam de separatis cellulariis commemorant etiam Irenaeus (Adv. haeres. III. 21), Cyrus Hierosolymitanus (Catech. VI), Chrysostomus (hom. 4. in Genesim) aliquie pauci ex Patribus, quibus consentit Talmud Babylonicum. Epiphanius autem 36 tantum cellularis admittit, quibus interpres bini ac bini inclusi fuerint, adiectis ad eorum ministerium famulis et amanuensis (Lib. de pond. et mens. n. 9-36). Notandum etiam est, nonnullos ex citatis Doctoribus versionem factam dicere sub *Ptolemaeo Lagi*, non autem sub *Philadelpho*: ita Irenaeus, Clemens Alexandrinus aliquie.

Haec sunt quae de origine versionis Alexandrinae ab antiquis tradita sunt. Verum recentiores critici ex his aliqua vel etiam

omnia in dubium revocarunt. Ludovicus Vives in notis ad librum XV de Civ. Dei, Leo De Castro in Proemio in Isaiam cap. XXXV, Alphonsus Salmeron Proleg. VI in Sacr. Script. authentiam libri Aristaei in dubium vocaverant, eundemque prorsus reiecerant Scaliger, Valesius et Richardus Simon. Verum sub finem saeculi XVII Humfredus Hody tanta eruditione laudatum librum impugnavit, eumdem a Iudeo quodam Hellenista confictum esse contendens, ut omnes protestantes et non paucos ex catholiceis in eandem sententiam traxerit. Cfr. Humfredus Hody: *Contra historiam Aristaei de LXX interpretibus dissertatio, Oxonii 1685*, quae iterum inserta est celebriori eiusdem auctoris opere: *De Bibliorum textibus originiis etc.* Oxonii 1703 (pag. 4-89). Paulo post eamdem opinionem vehementer proposuit ac defendit Ant. Van Dale *Dissert. super Aristea Amstel.* 1703. Horum argumenta, quamvis gravissima, omnium consensum non extorserunt, et pro Aristaei libro strenue pugnarunt ex nostris Simon De Magistris in dissertationibus adiecit opere: *Daniel secundum LXX. Romae 1772*, ex Graecis Oiconomos in opere: *De LXX interpretibus libri quatuor* (Graece), et ex Anglis Greenfield: *Apologia pro Septuaginta. Londini 1850*. In tanta opinionum diversitate, quaeri potest quid sentiendum sit de origine et historia laudatae versionis. Cui questioni ut respondemus circumstantias omnes praefatae historiae ad tria capita revocabimus: 1^o enim quedam sunt ab omnibus merito rejecta tamquam ficticia ac fabulosa: 2^o alia contra ab omnibus sane mentis criticis tamquam certa admissa: 3^o denique nonnulla adjuncta plus minus probabila esse videntur, de quibus potest hinc inde disputationi.

Ad 1^o classem revocanda sunt ea que de distinctis cellulis, de prodigioso interpretum consensu, aliquis similibus adiunctis circumferuntur, quae quidem Augustinus (De Doctr. Christ. lib. II, cap. 15) haesitante commemorat, Hieronymus autem expresse condemnat inquietum in praef. in Pentateuchum: « Nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scripturarint; cum Aristaeus eiusdem Ptolemaei ὑπερστιστης, et multo post tempore Iosephus, nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. » Nunc autem ab omnibus circumstantiae illae ut fabulosae habentur. Ad 2^o classem, eorum scilicet quae tamquam

certa habenda sunt, pertinent tum epocha versionis, tum locus, tum denique fons, seu textus ex quo translatio ipsa derivata est. Quod enim sub Ptolemaeo Philadelpho, 280 circiter A. C. annis, versio Alexandrina prodierit, dubitari nullo modo potest. Hoc enim non solum Aristaeus dicit, sed etiam reliqui historici, qui hac de re loquuntur, inter ceteros Aristobolus qui sub Ptolemaeis scriberbat, et forte sub ipso Ptolemaeo Philadelpho, ut innuit Clemens Alexandrinus (Strom. V, 4), qui que de Graeca versione sacrorum librorum mentionem facit apud Eusebium (Praepar. Evang. VIII, 9, XIII, 12); quibus accedit constans Iudeorum traditio, ad quam Philo, S. Iustinus, S. Irenaeus, Tertullianus aliisque antiquissimi autores appellant. Neque obstat testimonium Irenaei (Adv. haer. III, 21), et aliorum quorundam apud Clementem Alexandrinum (Strom. I, 22) qui versionem factam dicunt sub Ptolemaeo Lagi, qui etiam Soter dictus est. Omissio enim quod differentia paucorum annorum esset, et quod citati autores a ceterorum consensu discrepant, hoc, inquam, omissa, ultraque sententia simul componi potest. Scimus enim Ptolemaeum Philadelphum ab eius patre Ptolemaeo Lagi in consortium regni vocatum fuisse, et cum eo duabus annis regnasse. Hoc igitur temporis intervallo versio των LXX fieri potuit, quae ita ad utrumque regem pertineret. Confirmat hanc conjecturam Anatolius Alexandrinus affirms (ap. Eusebium Hist. Eccl. VII, 32): « Sacra Hebraeorum volumina a LXX interpretibus translata esse in gratiam Ptolemaei Philadelphi, et patris ipsius » si hoc admittatur versio Alexandrina circa annum 283 A. C. prodisset. Alterum quod prorsus certo constat est locus versionis, scilicet *Alexandria Aegypti*, de quo nemo unquam dubitavit, et unde nomen *Alexandrinæ* huic versioni factum est. Denique textum unde versio facta est finisse textum *Hebraicum* in dubium vocari nequit, consentientibus hac de re antiquis scriptoribus et Iudeis omnibus. Si laudatus Philo dicit (loc. cit.) textum finisse *Chaldaicum*, recolendum est apud scriptores illius aetatis linguam Hebraicam saepe Chaldaicam appellari, quemadmodum viceversa dialectus Chaldaica vel Syro-Chaldaica quae tune in Palestina vulgaris erat aliquando Hebraica dicebatur. Vide laudatam dissertationem Sim. De Magistris pag. 333. Quod autem Samaritani dicunt ex codicibus *Samaritanis* sacri textus versionem confectam fuisse commentum eorum est contra unanimem historicorum consensum, idque ex eo etiam in-

verosimile ostenditur, quod Iudei nonquam tam miro consensu Graecam illam versionem suscepissent, si eam ex Samaritanis codicibus prolectant scivissent. Restat igitur 3^a classis eorum quae in incertis habenda sunt, et de quibus in utramque partem a recentioribus disputatum est. Sunt autem haec: numerus interpretum, eorum patria, numerus librorum qui ab iis translati fuerint, ac denique utrum versio fuerit inspirata. Ad *numerum* quod attinet vidimus antigos omnes 72, vel numero rotundo 70 interpretes commemorare. Verum postquam ab Hodio aliquis criticis fides narrationi Aristaeae adempta est, valde dubitari coepit an tantus numeros interpretum laudatae versioni adlaboraverit. Plures ex recentioribus hoc negant contendentes a paucis viris opus illud confectum fuisse; quoniam vero obstat videbatur testimonium veterum et ipsa Versionis των LXX appellatio, responderunt versionem dictam esse των LXX non quia a totidem interpretibus prodierit, sed quia a paucioribus exarata in consilio vel synedrio Iudeorum Alexandrinorum solemniter probata fuerit, quod synedrium 72 viris constabat. Si iudicium de hac questione ferendum esset, veterum sententiam recentiorum opinioni liberter praeponeremus. Numerus enim ille interpretum non ab Aristeia tantum (qui etiam singularem nomina recitat) ponitur, sed ab omnibus antiquis scriptoribus qui de versione illa mentionem ingerunt, non exceptis illis qui Aristeiam non citant, sed aliunde acceptam historiam versionis tradiderunt. Ex alia vero parte recentiorum opinio superior usus laudata nullo historico testimonio, sed conjecturis tantum innititur. Imo nec verosimilis videtur, nam versio Alexandrina valde improprie appellata fuisset των LXX, vel LXX interpretum ex eo quod a synedrio Iudeorum tantum *probata* fuisset. Ad alterum de interpretum *patria* quod spectat, eadem fere dicenda sunt; scilicet recentiores non pauci, reiecto libro Aristaeae, ipsam historiam substantiam ut falsam reiiciunt, scilicet negant legationem ullam in Palæstinam a Ptolemaeo missam, aut ullos exinde venisse interpretes; sed horum loco existimant inter ipsos Iudeos Alexandrinos quosdam electos fuisse, qui versionem Graecam conficerent, quae postea a synedrio probata fuerit. Verum huic opinioni obstat videatur veterum omnium consensus; in hoc enim omnes prorsus conveniunt quamvis in aliis multis discrepent. Nec logice sequitur ex eo quod liber Aristaeae spurius credatur, totam historiam etiam in sua

substantia falsam, aut confitam esse. Quomodo enim historiam tanti momenti auctor iste, qui certe antiquissimus est (cum a Iosepho Flavio laudetur), quomodo, inquam, hanc historiam sine ullo veritatis fundamento confingere potuisse, nemine contradicente, immo consentientibus omnibus sive Iudeis sive Christianis? Falsum est etiam quod asserit Hodius caeteros scriptores ab Aristeia hausisse. Ut enim superior vidimus, plures ex aliis etiam fontibus illius facti notitiam derivarunt, ut Iustinus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, et ipse Philo Iudeus, qui et Alexandrinus erat et primo aerae vulgaris saeculo vivebat. Tertium disputationis caput respicit *libros* qui a laudatis interpretibus translati fuerint. Alii enim dicunt solos libros Moysi translatos fuisse, alii vero omnes sacros libros canonis Hebraeorum. Prima sententia placuit Philoni, Iosephi aliquique posterioribus Iudeis ita ut vere dixerit Hieronymus in Com. in Ezech.: « Aristeus enim, et Iosephus et omnis schola Iudeorum quinque tantum libros Moysi a LXX translatos asserunt » quibus ipse Hieronymus consentire videtur cum aliis pluribus Ecclesiæ Doctoribus. Alia vero sententia a multis defenditur quum antiquis tum recentioribus. Neque deest conjectura ad eam confirmandam; si enim ad regis desiderium explendum, et ad utilitatem Iudeorum Alexandrinorum *versio* illa Graeca facta est, cur non ceteri quoque libri una cum Pentateucho Graece translati fuissent, cum omnium par esset apud Hebraeos auctoritas, omnium maxima utilitas, ac mira sublimitas? Verum propter antiquorum Iudeorum testimonium prima sententia forte praferenda erit, scilicet solos Moysi libros ab interpretibus illis conversos fuisse. Ceterum haec quæstio practice haud magni momenti est. Sive enim dicamus in prima illa translatione praeter Pentateuchum caeteros quoque libros translatos fuisse, sive hoc negemus, certum tamen est duobus saltem ante Christum saeculis omnes sacros Hebraeorum libros graece lectos fuisse, et una cum libris Moysi extitisse in ea versione quae apud Iudeos præseruit Alexandrinos in usu erat, et quam Alexandrinam appellamus. Id sane constat imprimis ex Prologo in librum Ecclesiasticum, ubi ipsius libri graecus interpres qui sub Ptolemaeo Evergete scribebat clare innuit universam sacram Scripturam iam tum graece extitisse; loquens enim de difficultate versionis graecæ conficiendæ, ait: « Nam deficiunt verba hebraica, quando fuerint translata ad alteram lingua. Non autem solum haec, sed et ipsa *Lex*, et *Prophecae* cete-

raque aliorum librorum, non parvam habent differentiam quando inter se dicuntur: » idem appareat ex Philone, et ex tota historia Iudeorum Hellenistarum. Quare concedendum est reliquos libros V. T. si non ab illis primis interpretibus saltem paulo post ab aliis peritis Iudeis graece versos fuisse, et eodem consensu ab Hebreis receptos et communis usu probatos. Restat aliquid de quarto controversiae capite dicendum, an scilicet Alexandrina versio inspirata fuerit nec ne? Ratio huius questionis desumenda est ex modo quo multi ex antiquis Patribus et scriptoribus de hac versione loquuntur. Non solum enim Philo Iudeus, et forte etiam Josephus, sed etiam ex Patribus Iustinus, Irenaeus, Clemens Alex., Epiphanius cum multis alias Graecis versionem LXX aperte dicunt a Deo inspiratam, quibus consentit Augustinus de Civ. Dei XVIII, 43; et ipse Hieronymus, licet aliquando narrationem de separatis cellulis irrideat, alias tamen inspirationem Iudaeorum versionis admittere videtur ex. gr. Praef. in Paralipom. ubi loquens de defectibus in ea versione occurrentibus ait: « nec hoc LXX interpretibus qui Spiritu Sancto pleni et quae vera fuerant transtulerunt, sed scriptorum culpae adscribendum. » Ex hac opinione etiam factum est ut nova a Hieronymo concinnata versio magnam initio oppositionem nacta fuerit, quia scilicet hebraico textui pressius inhaerens multis in locis discrepabat a graeca versione LXX, et ab antiqua Itala, quae ex LXX derivata erat. Vide inter ceteros Augustinum in loc. cit. de Civ. Dei, et in Epist. ad Hieronymum scriptis.

Verum haec multorum Patrum sententia tanti ponderis non est ut inspirationem Alexandrinam versionis demonstret. Non enim laudati Patres ex mente Ecclesiae, aut ex certo historico argumento haec asseruerunt, sed plerunque, ut ipsi disertis verbis fatentur, opinions suea fundamentum in illa narratione de separatis cellulis, et de prodigioso interpretum consensu unice collocabant; cum autem circumstantiae illae admodum incertae sint, silentibus non solum Aristeis, sed etiam Josepho et Aristobulo, immo etiam contradicentibus, manifeste appetit etiam opinionem de inspiratione interpretum naturae. Hinc etiam plures ex citatis Doctoribus haesitanter de hac re loquuntur; ita Augustinus, qui in alio loco rem ut incertam ac libere disputandam proponit inquiens: « Qui (LXX interpr.) si, ut fertur, multique non indigni praedicant, singuli cellis etiam singulis separati cum interpretati essent, nihil in ali-

cuius eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis eodemque verborum ordine inveniretur in ceteris, quis huic auctoritati conferre aliquid nedum praeserre audeat? Si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu iudicioque vox fieret nec sic quidem quempiam unum hominem, qualibet peritia, ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum aspirare oportet, aut decet. » Hieronymus autem tantum abest quoniam de hac re persuasus fuerit, ut non obstante praefata locutione in Praef. Paral., alibi contrarium prorsus affirmet. Ita in praef. in Pent. alias citata scribit: « Nescio quis primus auctor LXX cellulas Alexandriae mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptarunt, cum Aristeas eiusdem Ptolemaei ὑεραποντιαῖς, et multo post tempore Iosephus, nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatis consultisse scrivant non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud esse interpretem. Ibi spiritus ventura praedicit, hic eruditio et verborum copia ea quae intelligit translat; nisi forte putandas est Tullius Oeconomicum Xenophontis, et Platoni Protagoram, et Demosthenis pro Ctesiphonte orationem afflatus rhetorico spiritu translatisse. » Hinc etiam in Epist. 57 asserit Septuaginta multa de suo addidisse, multa dimisise. Idem dicendum est de S. Hilario in ps. II, ubi auctoritatem LXX repetit ex eorum antiquitate, et ex oralis traditione synagogae, quam possidelant, non autem ex eorum inspiratione: « Non poterunt, inquit, non probables esse arbitri interpretandi, qui certissimi et gravissimi erant auctores docendi. » Longe autem maior pars Doctorum sive Graecorum sive Latinorum de versionis inspiratione omnino silent, vel camaperte negant; recentiores denique theologi et critici unanimi consensu huiusmodi inspirationem inficiantur.

Hic tamen opportunum est notare, versionem Alexandrinam, quamvis proprie inspirata non sit, non tamen sine speciali Dei providentia et consilio factam esse. Scilicet cum per tota saecula sacri codices, in quibus Redemptoris humani generis adventus, character, et operationes praedicabantur, uni fere Iudeorum populo noti fuissent, adventante iam epocha Redemptionis, oportebat ut aliis etiam genibus innotescerent, ut ita ad Evangelii fidem recipiendam disponerentur cum viderent in Evangelio compleatum quod in antiquis Prophetis aliquo sacris scriptoribus legerant, et ne forte dicerent Christianos oracula prophetarum confinxisse. Porro ad sacram Scripturam omnibus reserandam nullum medium apius

erat quam illam vertere in Graecorum linguam, quae tunc in toto fere orbe intelligebatur. De hoc divinas Sapientiae consilio expresse loquuntur Eusebius Praep. Evang. VIII, 1, Chrysostomus hom. IV in Genesim, et breviter Augustinus Doctr. Christ. lib. II, cap. 15 inquiens, versionem illam tribuendam esse divinae dispensationis: « Ut libri, quos gens Indiaea ceteris populis vel religione vel inuidia prodere solebat, creditur per Dominum gentibus, ministra regis Ptolemaei potestate, tanto ante proderentur. »

II. Haec de origine versionis των LXX. Nunc pauca de eius vicissitudinibus et de statu in quo nunc reperitur.

Vix apparuit versio ista a Iudeis statim recepta est et in usum publico tum privato adhibita; neque intra unius regionis fines mansit, sed in omnes poene regiones, ubi vel Iudei erant, vel Graeca lingua intelligebatur allata est. Fundata mox Christi Ecclesia, Christiani eamdem versionem suscepserunt ita ut Ecclesia Graeca primis illis temporibus in ipsa versione Alexandrina Scripturas legeret, Ecclesia vero Latina versione uteretur ex eadem Alexandrina derivata. Hinc factum est ut exemplaria ipsius versionis fere innumera existent, et versio ipsa infinitis poene vicibus in dies describeretur. Ex hoc autem necessario fieri debuit ut non pauci defectus et errores in eam irreperent ita ut exemplaria ab invicem discrepant. Quare identidem apparuit necessitas versionem Alexandrinam recensendi, et corrigendi, praesertim cum Iudei non cessarent eam accusare ob discrepancias a textu hebreo, et testimonia exinde a Christianis depropria recipere nollent. Opus istud immensi laboris suscepit saeculo III^o Origenes et maxima cum laude perficit in suis *Tetrapiis* et *Hexaplis*, de quibus nunc pauca dicenda sunt.

De Origenis *Tetrapiis*, et *Hexaplis*.

Primus Origenis labor in hoc consistebat ut versionem LXX cum tribus aliis versionibus graecis compararet, descriptis isdem versionibus in quatuor columnis parallelis, scilicet in 1^a *Aquila*, in 2^a *Symmachum*, in 3^a *Septuaginta*, in 4^a *Theodotionem*. Ita ut uno ictu oculi simul conspici et comparari possent, et una ex altera corrigi vel suppleri. Hoc opus ob quadruplicem columnam dictum est Τετραπλάς, vel singulari numero Τετραπλοῦν, vel etiam Τετραπλόδον. In hoc primo opere Origenes nullas corrections proprie fecit, eas iudicio lectoris relinques, quemadmodum demonstrat Montfauconius in praeliminariis in Hexapla Origenis Cap. I, n. III. Verum paulo post Origeni visum est ad maiorem

legentium utilitatem ipsas corrections perficere: ad quem finem quatuor praeditis columnis duas alias praemisit, quarum prima continebat hebraicum textum characteribus hebraicis, altera eundem textum characteribus graecis, deinde sequebantur quatuor versiones iuxta ordinem praedictum. In quinta columna, idest LXX interpretam, corrections apposuit ita tamen ut adhibitus signis quibusdam lectorum moneret quid in vulgaris LXX codicibus legeretur, quid autem ab eo mutatum esset. Scilicet si quid deerat in LXX quod esset in textu hebreo, ea plerumque ex Theodotione vel aliquando ex Aquila et Symmacho supplebat, apposito tamen asterisco (*) ante verba addita, et duobus punctis crassioribus (.) in fine; si quid contra in LXX superfluum erat, adeoque expungendum, illud in principio transversa lineola notabat quae οβελός (obelus) vocatur ita (‡), additis similiter in fine duobus punctis, ita ut lector sciret verba illa in textu hebreo deesse. Addidit etiam alia signa quae ipse appellat *lemniscos* et *hypolemniscos*, quorum tamen figura et usus non bene constant. Denique in ampio margine operis plures adnotationes adiecit quae varia lectiones samaritanas, hebraicas, et syriacas, nec non nominum propriorum explicaciones continebant, licet nonnulli suspicentur notas istas saltem ex parte ab aliis parte additas fuisse. Hoc alterum opus ob sex columnas dictum est Εξαπλάδον, vel Εξαπλόν, et communius Εξαπλά Hexapla. Quoniam vero in nonnullis libris V. T. praeter quatuor memoratas etiam duae aliae versiones et aliquando etiam tres distinctis columnis additae fuerant, hinc quaedam operis Origenianae partes vocatae sunt *Ogdoadia* vel *Enneaplora*, integrum tamen opus Hexapla dictum est, et editio LXX in eo correcta dicta est hexaploris. Ad clariorem huius operis intelligentiam addimus specimen Tetraplorum, Hexaplorum et Enneaplorum.

TETRAPLA (Gen. I, 1)

(1)	(2)	(3)	(4)
ΑΚΤΛΑΣ	ΣΥΜΜΑΚΟΣ	ΟΞΩΝ	ΘΕΩΔΟΤΙΩΝ
Ἐν περιπλοκῇ ἐν χριστῷ ὁ Θεὸς σῶμα τὸν σύραντον καὶ σύραντον τὸν τὴν γῆν.	Ἐν ἀρχῇ ἐξι- τησεν ὁ Θεὸς σῶμα τὸν σύραντον καὶ σύραντον τὸν τὴν γῆν.	Ἐν ἀρχῇ ἐξι- τησεν ὁ Θεὸς τὸν τὸν σύραντον καὶ τὸν σύραντον τὸν τὴν γῆν.	Ἐν ἀρχῇ ἐξι- τησεν ὁ Θεὸς τὸν τὸν σύραντον καὶ τὸν σύραντον τὸν τὴν γῆν.

HEXAPLA (Ps. IV, 3, 8)

ENNEAPLA (Habac. II, 4)

Ingens hexaplorum opus 30 voluminibus comprehensum ob-
ipsum suam molem vel nunquam vel semel tantum et iterum de-
scriptum est. Anno autem 303 Caesareum delatum est atque in
bibliotheca Pamphili repositum ubi Hieronymus illud vidit et
codices suos habraicos ad eius normam emondavit. Postea vero in
incendio eiusdem bibliothecae per Saracenos una cum aliis
pretiosis codicibus periret ita nonnisi fragmenta hexaplorum in variis
operibus sparsa ad nos pervenerunt. Attamen versio LXX prout in
hexaplis extabat signis diacriticis munita seorsim descripta fuerat
tamquam nova et accuratior eiusdem versionis editio, cuius exem-
plaria nonnulla antiquissima adhuc supersunt, ex quibus praecipuum
locum tenet codex Vaticanus B, Alexandrinus A, et Sinaiticus R,
qui praeferuntur textum graecum N. T. continent etiam V. T. iuxta
versionem LXX. Notandum tamen est ipsam hexapla rem editionem
decurso temporis ex incuria librariorum aliquantum vitiatam fuisse;
quare sub finem saeculi III vel initio saec. IV iterum recognita et
emendata est a doctis viris Hesychio, Luciano, Eusebio et Pam-
philo, de quorum editionibus loquitur Hieronymus in Epist. ad
Sunniam et Fretellam n. 2 et in Praef. in Paralip. ubi etiam ani-
madvertit editionem LXX ab Hesychio adornatam in Aegypto re-
ceptam fuisse, editionem Luciani Martyris in Oriente a Constantino-
poli usque Antiochiam: «Mediae autem, inquit, inter hos provincias
Palestinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pam-
philus vulgaverunt.» Ex his tribus recensionibus nostri codices MSS.
prodierunt. Post inventam typographiam eadem versio saepius ty-
pis impressa est. Scilicet 1^a editio typographica est ea quam Car-
dinis Ximenes curavit in polyglottis Complutensis (Anno 1514-
1517) repetita deinceps in polyglottis Antuerpiensibus (1571), et
in Parisiensibus (1645) et saepe alias seorsim. 2^a editio est ea quam
Aldus Manutius ex multis antiquis codicibus simul collatis curarunt
Andrea Asulano vulgavit Venetiis 1518. Verum has omnes superaverunt
3^a editio romana, quae iussi Sixti V Romae anno 1487 prodit, quea ideo etiam Sixtina dicitur. Haec editio imprimis ex codice
Vaticano deprompta est, collatis tamen pluribus aliis codicibus mss.
et appositis etiam variantibus lectionibus, opera praecessit Petrus
Morini. Haec editio tum propter intrinsecum eius valorem tum ob
auctoritatem Romani Pontificis qui eam speciali constitutione pro-
bavit in magno prelio semper habita est, et saepius recusa ad-

usum studiosorum. Laudabimus hic praecipue accuratam et oeconomicam eius editionem quae a Jager adornata est Parisiis typis F. Didot 1839, 4 vol. in 8 (vel 2 vol. in 8 cum versione latina Flaminii Nobilii). 4^a Editio a Grabio concinnata est iuxta cod. Alexandr. (Oxonii 1707-20 4 vol. in fol.) ubi iuxta morem Origenis asterisci atque obeli appositi sunt. Codex alexandrinus postea accuratus editus est ab Holmes et Parsons (Oxonii 1798-1810-1827) et eodem tempore ab H. Baber (Londini 1812-1826). 5^a editionem iuxta codicem Vaticanum ex aliis tamen codicibus suppletam vulgarunt Cardinalis Angelus Mai et Carolus Vercellone (Romae 1857, 5 vol. in 4). Denique nova splendida editio in *fæc simile* Codicis Vatican prodire coepit Romae a. 1868 ex Typographeo S. C. de Propaganda Fide sub auspicio Pii IX. P. M. et studio doctissimum virorum C. Vercellone et I. Cozza. Sextum volumen, continens Apparatum Criticum et Praefationem generalem, ex parte (desunt animadw. crit. in V. T.) tandem lucem asperxit a. 1881. (4).

III. De versione Alexandrinae *valore*, et *auctoritate*.

Ut imprimis de *intrinseco* versionis valore dicamus ea non in omnibus libris similis est, neque eamdem fidelitatem aut elegantiam praeserfet. Pentateuchus caeteris libris praestat et ubique textui originario adhaeret, verborumque hebraicorum vim feliciter reddit. Proximum locum tenet liber Proverbiorum, sequuntur liber Iudicum, Ruth, Samuelis et Regum, qui ab uno eodemque auctore vel ab iisdem collatis consilis translati fuisse videntur. Psalmi et Prophetas obscurius et imperfectius versi sunt praesertim Isaías. Danielis autem versio tam parum cum textu cohaeret ut eam Ecclesia a remotissima aetate cum versione Theodotionis communaverit. Ecclesiasticus verso textui pressius inhaeret, Iobi vero liberior est. Huiusmodi defectus Hieronymus pluribus in locis suarum praefationum et comment. animadvertisit, quos tamen plerunque non ipsis LXX interpretibus adscribit, sed potius exemplarium vitio.

(1) Mentionem meretur editio stereotypa marmalis Const. Tisehendorfi Lipsiae 1860 2 Vol. in 8 ubi tum Sixtinam editionem tum Maianam sequitur, apposito etiam apparatu critico et prolegomenis.

In omnibus laudatis editionibus liber Danielis non est ex versione LXX sed ex Theodotione, cum usque ab immemorabili haec Danielis versio antiques illi τὸν LXX in multis locis corruptae substituta fuisset in uso Ecclesiae liturgico. Attamen Alexandrina Danielis verso superiore saeculo prodidit cum titulo: *Daniel secundum LXX ex tetrapl. Origenis ex antiquo codice Chisiano*, opera Sim. De Magistris (Romae 1772).

Accedit in laudata versione quedam redundare, alia pauca deesse, alia vero turbata et parum textui conformia. Ita ex. gr. in ipso Pentateuco versio LXX uti nunc habetur aetas Patriarcharum longiores facit, quam sint in textu hebraico, et in vulgata latina; rursum nomen *Cainan* inserit inter Arphaxad et Sale, quod in textu desideratur; alium quoque *Cainan* addit filii Sem (Gen. X, 22), quemadmodum addit Elisa filius Iapheth (Gen. X, 2). In I Paral. ordo versuum immutatus est, et nonnulli olim omnino deerant, ut etiam Oseea cap. XI, 4 deerant verba illa: «Puer Israel et dilexi eum, et ex Aegypto vocavi filium meum» uti notavit Hieronymus praesertim Comment. in cap. II Matthaei ubi verba illa citantur (1). Hisce tamen non obstantibus versio LXX nequaquam fidei aut bonis moribus adversatur, et ad substantiam quod attinet textum hebraicum fideliter repreaesant, imo plerunque intimam ac nativam hebraicarum sententiarum vim tam bene reddit, ut ad genuinum Scripturae sensum penetrandum magno adiumento sit, quemadmodum profecto expectandum erat a doctis viris qui hebraicam linguam perfecte callebant et stante adhuc Hebreorum republica scribabant.

Verum quod magis magisque versionem nostram commendat est Iudaicae et Christianae Ecclesiae testimonium et constans usus, unde etiam *extrinseca* eiusdem versionis auctoritas oritur. Et sane, ut primum de Iudaicis dicamus, versio Alexandrina sub Ptolemaei confecta statim a Iudeis Hellenistis suscepta est, et in publica lectione et in privatis conventibus semper adhibita, non solum scilicet in provincia Alexandrina, sed et in caeteris provinciis Africæ et Asiae ubi Iudei extabant grecie loquentes. Constant haec ex expresso testimonio Philonis Alexandrinii lib. II de vita Moysi, ex Prologo Ecclesiastici et ex omnibus aliis monumentis illorum Iudeorum. Neque putandum est minorem fuisse Hebreorum Palestiniensium venerationem erga LXX, ut appareat ex Iosepho Flavio et ex Agiographis N. T. Ipsi Talmudistæ in tract. *Megilloth* versionem hanc laudent, et alibi (tract. *Sota* cap. VII) mentionem faciunt de synagogi hellenistica Caesareae in Palestina constituta ubi haec versio perlegebatur. In hac veneratione perseverarunt Hebrei etiam diu post Christi adventum, donec a Christianis lassiti testimonio

(1) Haec tamen in hexapl. Origenis suppleta sunt ex aliis Graecis versionibus, et propterea in nostris editionibus τὸν LXX reperiuntur.

sacrae Scripturae iuxta eamdem versionem illam impugnare coeperunt sub praetextu quod loca originalia fideliter non exhiberet, qua etiam de causa novas versiones graecas facientes curarunt, quas inter praecepue usi sunt Aquilae Iudaei translatione. Huc etiam pertinet quod narratur de turbis excitatis a Iudeis Palestiniensibus contra Alexandrinos propter usum versionis LXX tempore Iustiniani Imperatoris, de quibus loquitur Photius in *Nomocan.* XII, 6, et habetur etiam in *Novellis Iustiniani* (*Novella 146*).

A Iudeis ad Christianos eadem versio pertransiit, apud quos parem venerationem nacta est. Quinimo dici potest sacram Scripturam V. T. iuxta hanc versionem ecclesiae Christianae traditam esse, cum ea lingua scripta esset que nec a Iudeis Evangelio nomen dantibus ignorabatur, et Graecis Latinisque, qui praecepum nascentis Ecclesiae partem esformabant, familiaris erat (1). Hinc ipse Christus eiusque Apostoli eadem versione usi sunt, ut saepe amadvertisit Hieronymus, et ante illum Irenaeus in loco mox citando, et ex locorum collatione apertum fit. Quare ipsi Apostoli et Evangelistae, excepto Mathaeo, non hebreia sed graece sacros libros conscriperunt, et quidem dialecto prorsus simili versioni Alexandrinae. Exemplo Christi et Apostolorum edocta Ecclesia usque ad V saeculum ea versione usus est vel directe vel indirecte, scilicet directe ubicunque graeca lingua vulgaris erat, indirecte vero per versiones exinde expressa praeferunt antiqua latina versione, quae ante Hieronymum in universa Ecclesia Occidentis adhibita est. Porro tanta erat omnium erga eamdem versionem veneratione, ut non pauci doctores illam inspiratam haberent, omnes vero summis laudibus illam extollerent neque libenter ferrent alias cudi versiones in eius locum substituendas. Ita Justinus *Dial. cum Tryphonie Hebraeos* interprebat de paelatam Alexandrinae versioni Aquilae translationem: « Sed minime, inquit, mihi probantur magistri vestri, qui septuaginta illos senes apud Ptolemaeum Aegyptiorum regem recte interpretatos esse assentiri nolunt, sed ipsi interpretari aggreduntur. » Similia habet Irenaeus *Adv. haer.* III, 21 ubi de Ecclesiarum consensu pro re nostra loquitur: « Quum tanta igitur veritate, et

(1) Legendum est de hac re cl. Vincenzi in opere alias landato: *Sess. IV Conc. Trid. vindicata*, Parte 2^a Prop. III ubi speciatim agit: *De transitu versionis Alexandrinae a Synagoga hebraica in Christi Iesu Ecclesiam*, de illius auctoritate etc.

gratia Dei interpretatae sint Scripturae, e quibus praeparavit et reformavit Deus fidem nostram, quae in Filium eius est, et servavit nobis simplices Scripturas in Aegypto, in qua adolevit domus Iacob, et Dominus noster servatus est, et haec eorum Scripturarum interpretatio priusquam Dominus noster descenderet facta sit, et antequam Christiani ostenderentur.... vere impudorati et audaces offenduntur qui nunc volunt alter interpretationes facere quando et ex ipsis Scripturis arguantur a nobis et in fidem adventus filii Dei concludantur.... Etenim Apostoli cum sint his omnibus vetustiores consonant praedictas interpretationes et interpretatio consonat Apostolorum traditionis; Petrus enim, et Iohannes, et Matthaeus, et Paulus ceterique deinceps et horum sectatores prophethica omnia ita annuntiaverunt quemadmodum seniorum interpretatio continet. » Augustinus etiam testatur novam Hieronymi versionem ex hebreo non statim Ecclesiae placuisse, scilicet ob praevalentem versionis Italae auctoritatem quae Alexandrinam representabat. Ita in lib. XVII de Civ. Dei, cap. 43: « Hanc tamen, inquit, versionem quae LXX est tamquam sola esset sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Graeci populi Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua ignorant: ex hac LXX interpretatione etiam in linguam latinam interpretatum est quod Ecclesiae latine tenent; quamvis non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus et omnium trium linguarum peritus, qui non ex graeco sed ex hebreo in latinum eloquium easdem scripturas converterit. Sed eius tam litteratum laborem quamvis Iudei fateantur esse veracem, LXX vero interpretes in multis errasse contendunt, tamen Ecclesiae Christi tot hominum auctoritatis ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum neminem iudicant preferendum. » Idem in lib. II de Doctr. Christ. cap. 45 ait: « LXX interpretum quod ad V. T. attinet excellit auctoritas » quinimum ipse Hieronymus plures fatetur suam reverentiam erga illam versionem a qua dicit se non recedere nisi quia eius exemplaria corrupta essent: « Si LXX, inquit, interpretum pura et ut ab iis in graecum versa est editio permaneret superflue me, Chromati episcoporum sanctissime atque doctissime, impelleres ut hebreia tibi volumina latino sermone transferrem. » Eadem quoque dicenda sunt de aliis pluribus Ecclesiis quae latina lingua non utebantur, quae pariter versionibus iuxta LXX confectis usae sunt, ut infra videbimus.

Ex hisce apertum fit poene universam Ecclesiam per plura saecula versione Alexandrina usum fuisse, hac versione sacram liturgiam ac divina officia fuisse celebrata, fidei dogmata asserta, et haereses refutatas, ex hac fideles publice et private eductos.

Ex his quae disputavimus satis constat quid de valore et auctoritate versionis Alexandrinae tenendum sit, scilicet eam tam originario tum etiam in praesenti eius statu authenticam esse, eo scilicet sensu quod ab erroribus contra fidem ac mores immunis sit, et originarium V. T. textum, ad substantiam quod attinet, fideliter reprezentet. Quamvis enim nonnulli putaverint versionem illam ob inductas in codicibus mutationes non amplius fidelem et authenticam esse, id tamen probandum non videtur praecepit ob Ecclesiaram testimonium et nunquam interruptum ipsius versionis usum, nec non ex auctoritate Sixti V Romanam editionem probantibus in Bulla die 8 Octobris anno 1586, cuius verba hic profienda duximus: « Volumas ei sancimus ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem ut Vetus graecum Testamentum ita recognitum et ex politum ab omnibus recipiat, ac retineatur, quo potissimum ad Latinæ vulgatae editionis et veterum SS. Patrum intelligentiam utantur: prohibentes ne quis de hac nova graeca editione audeat in posterum vel addendo vel demendo quidquam immutare. » Sequenti anno 1587 aliam Bullam edidit Sextus qua latinam versionem literalem ex graeca editione expressam similiter probavit probibens: « Ne quis ei quidquam vel minimum addere, aut detrahere, aut illam ex parte immutare quovis praetextu audeat vel praesumat, nisi specialiter ad id a nobis, vel pro tempore existente Rom. Pont. licentiam obtinuerit. »

Contra nostram conclusionem obiici potest:

1º Auctoritas quorundam doctorum qui de vitiis vel erroribus versionis LXX conqueruntur. 2º Discrepantia non levis quae in pluribus locis deprehenditur inter eamdem versionem et textum hebraicum ac Vulgatam latinam, cuius praecipua exempla superius innominis.

Resp. tamen ad 1º Omnes fere antiqui Doctores qui de mendis versionis LXX conqueruntur ea non ipsis interpretibus adscribunt, sed codicem scriptoribus, quorum tamen molta per Origenis labores et subsequentium criticorum industriam sublata sunt.

Ad 2º autem iam alias animadvertisimus discrepantias hodiernarum

editionum a textu hebraico tantas non esse ut easdem editiones substantialiter corruptas efficiant. Notandum insuper est aliquando vitium ex parte textus stare potius quam ex parte versionis. Insper pluribus in locis evidenter propositum fuit interpretibus non verbum verbo, sed sensum potius reddere, quem ipsi melius quam recentiores et intimius arripere poterant. Ita ex gr. Is. L, 6 Hebreus legit: « *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus* » LXX vero clarius: « *Dorsum meum dedi ad flagella et genas meas ad alapas* » item Is. LXX, 2 in textu legitur: « *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum* » LXX explicatus redditus: « *Ad populum non credentem et contradicentem* » quam lectionem sequitur Apostolus Rom. X. Tertio notandum est aliquando hebraica vocabula duas significaciones habere posse, quarum unam reddit versio LXX, Vulgata vero Latina aliam, ita ut neque error sit, neque vera discordia, sed tantum obscuritas loci vel ambiguitas. Sic Num. XXI, 1 vox בָּנְגֵה (banneghe) a Hieronymo vertitur: *meridiem* « Reo Chanaaneus qui habitabat ad meridiem » LXX autem vertunt: *in deserto*, quia vox illa utrumque significat. Ita etiam Ier. XXXI, 32 verbum בָּאַלִּתִי (Baalti) non necessario significat: *dominatus sum*, ut habet Hieronymus, sed potest etiam significare: *despexi*, ut habent LXX. Nec facile pronunciandum est contra vocis alicuius interpretationem apud LXX, cum illis plena linguae hebraicae cognitio esset, nobis autem nonnisi imperfecta et ex rabbinorum traditione emendata. Quarto suspicatur S. Hieronymus (Praef. in Is. et Praef. hebr. quæst. in Gen. etc.) quaedam consulta a LXX fuisse paulo diverse redita ac essent in Hebreo, ne divina mysteria ethnicis, et Ptolemaeo regi aperte proderent. Qui vero versionem ipsam inspiratam credebant discrepantias ipsas ab inspiratione repetebant, ita ut aliud voluerit Spiritus Sanctus per LXX interpretes, aliud per originarios scriptores manifestare. Ita Augustinus in loco alias citato De civ. Dei XVIII, 43: « Si igitur, inquit, ut oportet nihil aliud intuemur in scripturis illis nisi quod per homines dixerit Dei Spiritus, quidquid est in Hebreis codicibus et non est apud interpretes LXX noluit ea per istos sed per illos Prophetas Dei Spiritus dicere, sic ostendens utrosque fuisse prophetas. Quidquid vero apud utrosque invenitur per utrosque dicere voluit unus atque idem Spiritus, sed ita ut illi praecedenter prophetando, isti sequerentur propheticæ illos interpretando. » Ce-

terum negandum non est aliquas discrepantias reales inter versionem et textum ipsorum interpretum defectui tribuendas esse, quos alias vidimus inspiratos non fuisse, longe plures tamen amanuensis oscitantiae vel audacie adscribendae sunt (1).

Haec de Alexandrina bibliorum versione.

B. De reliquis græcis versionibus hexaploibus.

Pauca dicenda supersunt de sex illis versionibus quas in Origeniano opere locum habuisse vidimus quarum est 1^a Versio *Aquila*. Aquilas iste iuxta Epiphanius, Hieronymum et alios 2^a Ecclesiae saeculo floruit; patriam habuit Synope in Ponto, ac primo quidem gentilis mox Christianus factus est, sed cum astrologicas superstitiones operari daret et ob eam causam anathemate perculsi fuisset eam sententiam graviter ferens ad Iudaismum deflexit. Is itaque ut favorem Iudeis praestaret novam V. T. versionem ex Hebreo confecit circa annum aerae vulgaris 128: in qua versione ita textui inhaeret ut contra indolem græcae lingue singulas voces hebraicas et verborum compositionem serviliter reddit (2).

Ad meritum huius versionis quod attinet, antiqui Pates modo eam accusant, ac si studiose sensum vaticiniorum male verterit, modo vero impense laudent. Ita S. Hieronymus Praef. in lob. ait: «Aquila et Symmachus et Theodosius induzantur haereticis... multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt.» Verum in aliis locis Aquilæ versionem laudat et coeteris præfert. Ita in Epist. 35 ad Damasum: «Aquilam, inquit, ut in coeteris et in hoc maxime loco proprio translatis omnis Iudea conclamat;» et ibidem: «Aquila non contentiosus, ut quidam putant, sed studiosius verbum interpretatur ad verbum» et in Epist. ad Marcellam ait: «Aquila verborum Hebraeorum diligentissimus explicator est;» quin etiam in comm. in Hab. III absolute pronunciat: «Iudeus Aquila interpretatus est ut Christianus.» Haec ita concilianda sunt ut di-

(1) De quibnsdam discrepantias in specie redibit sermo in sequenti capite. Interim legi potest de his Hug in dissertatione de versione LXX.

(2) Affirmant nonnulli duas Aquilæ versiones fecisse, alteram elegantiorum, alteram vero servilem quam dicunt a S. Hieronymo (Com. in Ezech. II) appellatam fuisse secundam, et xxxviiiⁱⁱⁱⁱ Verum probabilis videtur unam tantum fuisse Aquilæ versionem quam Hieronymus secundam dicat relate ad LXX viralem quae erat prima, eamdemque xxxviiiⁱⁱⁱⁱ vocet relate ad sequentes Symmachi et Theodosionis quibus erat accurasier.

camus in paucis locis Aquilam male vertisse in gratiam Iudeorum, quae vitia ab antiquis forte exaggerata sunt ob reverentiam erga versionem LXX, a qua ille saepe discedebat, generatim tamen versionem accuratam et fidelem extitisse. Iudei vero Aquilæ versionem coeteris præferebant, ut testantur Origenes in Epist. ad Africanum, Augustinus de Civ. Dei XV, 23 et Hieronymos passim. Huius versionis hodie tantum fragmenta supersunt inter reliquias hexaplorum (1).

2^a est versio *Symmachus*. Symmachus, testibus Eusebio et Hieronymo, semichristianus seu Ebionita fuit, et, si Epiphanius credamus (De pond. et mens.), antea Samaritanus fuerat, mox Iudeus, deinde Christianus et postremem Ebionita. Is versionem suam confedit sub Severo imperatore (ut contra Petavium ostendit Montfauconius in op. cit. et vulgo a critici tenetur) ideoque circa finem saeculi II. Versio haec caeteris claritate et elegantiæ praestabat, et licet servilis non esset ut versio Aquilæ, sensum tamen hebraici textus apte et fideliter exprimebat.

3^a est versio *Theodosianus*. Hic natione Ponticus, ut vult Epiphanius in citato libro, vel Ephesus, ut habet Ireneus (III, 21), postquam Christianae religioni nomen dedisset in Ebionitarum et Marcionitarum errores lapsus est, ac tandem Iudeorum proselytus effectus. Versionem suam condidit imperante Commodo postquam ab Hebraicis hebraicam linguam didicisset, idque diu ante finem saeculi II; nam eius versio in libris Irenei *contra haereses* (an. 476) commemoratur. Ad indolem versionis quod spectat Theodosianus LXX interplexum methodum ac stylum preesse sequitur, quae causa fuit cur Origenes in hexaps. defectus LXX ex Theodosione plenrumque suppleret, ut alias vidimus. Hieronymus hanc versionem aliquando reprehendit ut in cit. Praef. in lob. Ea tamen generatim inspecta fidelis erat, ita ut Ecclesia librum Danielis inde suscepit. Quia de re licet alias mentionem fecerimus inutile tamen non erit hic Hieronymi testimonium afferre (Praef. in Danielem): «Daniel prophetam, inquit, iuxta LXX interpres Domini Salvatoris Ecclesiae non legunt, utentes Theodosianis editione: et cur hoc accidenter nescio. Sive enim quis sermo Chaldaicus est, et quibusdam proprietatis a nostro eloquio discrepat noluerunt LXX in-

(1) Legi de hac versione eruditam dissertationem P. Vercellone quac est VII inter eius *Dissertationi accademiche di vario argomento* Roma 1864.